



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 236. Quid de immunitate Ecclesiastica sit notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

cerdotum, legat *Branden* in Collect. ad Concord. post q. 12. Not. 10. & Tractatum *Tritemii* de Sacerdotum vita.

Q. 235. Quid sit privilegium Canonis & Fori, quod habere dicuntur Clerici. R. Privilegium Canonis est gratia & favor statui Clericali concessus, Canone si quis suadente, 26. causâ 17. q. 4., quo eximitur ipse & res ei adhærentes ab omni actione injuriosa exteriori, de quo dicitur l. 7., quando de percussione Clerici. Privilegium fori est favor, quo Clericus eximitur à jurisdictione & potestate seculari, quoad se & sua, de quo aliqua jam dicemus, & iterum postea à n. 1410., possuntque etiam videri dicta l. 1. n. 679.; sed præcipuè videndus *Delbene* de Immun. Eccles. c. 6. & 7., item *Dicast.* de cens. d. 3. dub. 57.

1380

Q. 236. Quid de immunitate Ecclesiastica sit notandum. R. Seqq.

1381

§. I. Certum est Clericos jure divino esse exemptos à jurisdictione laica, uti docent *Clemens Rom.* Ep. 1., *Dionysius Areop.* Ep. 8. ad Demoph., *Synodus Rom.* 4. sub *Symmacho* Can. 3., *Bonif. VIII* Cap. *quanquam*, de censibus in 6., *Ioannes VIII.* Can. *Si Imperator*, dist. 96., *Inn. IV.* Comment. in decret. de majorit. & obed., *Conc. Lateran.* sub *Leone X.* Sef. 9., *Trid.* Sef. 25. c. 20. de Ref., sumiturque ex *Matth.* 17. & 24., ubi Christus dicit filios regni, quo nomine seipsum & Apostolos ac successores Clericos tanquam familiares suos intelligit, à subjectione Laicorum liberos esse, prout explicat *S. Hieronym.* hoc loco, neque ullus verè Catholicus diffitetur. Vide dicenda n. 1410. & *Delbene* c. 1. d. 2. f. 1. & 6.

§. II. Clerici gaudent immunitate Ecclesiastica, uti habet *Trid.* supra, & magis constabit ex dicendis

1382

dis à n. 1386 Et Clericos non esse subditos legibus civilibus quoad vim coactivam, dictum est l. 1. n. 674., probatque *Delb.* toto c. 9., hinc ordinariè puniri non possunt per laicos, si transgrediantur leges civiles, uti latè *Delb.* d. 2. & seqq. & iterum d. 15. & seqq., quia secundùm dicenda n. 1410. nullam in eos jurisdictionem habent: Possunt tamen laici Clericum in flagranti, vel in proposito perpetrandi crimen capere ad tradendum potestati Ecclesiasticæ, *Delb.* d. 7. Item possunt detinere Clericum debitorem, quia id concedit Ecclesia, *Delb.* d. 8., quem etiam vide d. 11. & 12. Possè etiam expelli regno, si inobedientes sint justis mandatis Principum, docent multi, sed plures probabilius negant cum *Delb.* d. 9. & 13. Addit d. 20. & 25. f. 5. non possè Clericorum pecora in pascuis prohibitis reperta eripi per laicos pro executione pœnæ *Statuti*, quamvis quoad hoc contradicant alii. Et quamvis Clerici teneantur, uti alii, reparare vias ante domos suas, tamen non possunt à laicis ad hoc compelli, *Delb.* d. 23. Hinc tenet communis cum *Lugo* de Just. d. 36. n. 123. & *Delb.* c. 5. d. 17. contra alios, quòd Clerici non teneantur contribuere ad illa, quæ immediatè & directè cedunt in utilitatem publicam, & mediatè tantùm in utilitatem Clericorum, uti sunt reparationes mœnium, pontium, fontium, viarum publicarum &c. Docent tamen *Silv. Mol. Sanch.* in Conf. l. 2. c. 4. d. 55. à n. 6. *Dian.* p. 1. t. 2. R. 40. & 132. *Carden.* in 1. crisi d. 61. n. 128. *Delb.* c. 5. d. 16. teneri contribuere ad ea, quæ directè & immediatè concernunt etiam eorum utilitatem. Et de impositione ejusmodi contributionum, quando nam sit contra immunitatem Ecclesiasticam, videri potest *Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 3. Item, cujus requiratur consensus, ut possit Clero in publica necessitate indici contribu-

tributio, resolvit *Delb.* d. 18. & seqq. Docent quidem *Cutell. Salas* & alii à laicis posse tempore penuriae cogi Clericos, ut justo pretio vendant, v. g. filiginem, sed tenendum est oppositum cum *Delb.* c. 9. d. 14., quia necessitas illa non dat jurisdictionem laicis, sed recurrere debent ad Superiores Ecclesiasticos: si tamen hi injustè nollent, aut ad eos recurri non posset, laici possent titulo defendendæ vitam pretio dato arripere sibi necessaria: Et his conformiter dixi l. 3. p. 2. à n. 1146. posse in gravi necessitate Reip., v. g. ob famem, etiam pias dispositiones converti in usus indigentium. De obligatione præstandi aliquando subsidii charitativi, vide dicta hic n. 851.

§. III. Contra immunitatem Ecclesiasticam est, 1383
si Clerici cogantur ad gabellas, ad emendam charitam signatam & similia, *Delb.* c. 1. d. 4. f. 2. & seqq., idem probans quoad Religiosos, d. 9. & seqq. An autem Clericorum bona patrimonialia etiam immunita sint, examinat *Delb.* c. 5., & inter cætera rectè docet Clericos non esse immunes quoad negotiationes, quamvis de his conveniri non possint nisi coram Judice Ecclesiastico. An verò Clericus teneatur solvere gabellas è bonis conductis, videri potest *Diana* p. 6. t. 7. R. 11., sed quoad hæc aliaque semper attendendum, quid Ecclesia hic & nunc permittat.

§. IV. Nulla potestas sæcularis potest tollere vel 1384
minuere immunitatem Ecclesiasticam, *Delb.* c. 1. d. 2. f. 2. Imò nec à Papa tolli potest totaliter, *Delb.* f. 3. Nec per consuetudinem etiam immemoriam, *Delb.* c. 2. d. 15. c. 5. d. 14. c. 9. d. 6. f. 5. & 6. Quamvis autem *Suar.* contra Regem Angliæ l. 4. c. 26. n. 3. & *Burgh.* cent. 2. cas. 90. putent contra *Pereir.* apud *Dian.* p. 4. t. 1. R. 20. Clericos etiam in Minoribus
Y y consti-

constitutos gaudere his privilegiis, si observent reā
quisita à *Trid.*, imò et si non observent, uti putat
Mol. Tom. 3. tr. 2. d. 270. n. 5., tamen *Less.* l. 2. c.
33. n. 38. rectè dicit nunc per consuetudinem & Ec-
clesiæ consensum ad illos, si Ecclesiæ non deserviant
nec beneficiati sint, non ampliùs ea pertinere. Videri
potest etiam *Delb.* c. 1. d. 5. s. 2. & seqq.

1385

Q. 237. *An bona secularia possint fieri Eccle-
siastica sine licentia Principis secularis. R.*

§. I. *Negant Caram.* & pauci alii: ut probent,
Supponunt seqq. 1. *Dominium* esse quadruplex,
Proprietatis, quod habet Petrus, cujus est fundus:
Potentiale, quod habent omnes, qui fundum illum
accipere possunt per donationem vel emptionem,
quales sunt Principes ac concives regni. *Jurisdictionale*,
quod habet Princeps, in quantum præest gu-
bernationi per leges. *Politicum* sive extraordina-
rium, quod habet etiam Princeps, in quantum habet
jus disponendi de rebus privati, quando ita expedit
ad bonum commune. 2. Bona tunc dicuntur cade-
re in manum mortuam, si fiant impostero inalie-
nabilia, & ex illa manu redire non possint, hinc
amortisatio bonorum est actio, per quam bona ca-
dentia in manum mortuam fiunt inalienabilia. 3.
De consensu Principis utentis dominio politico pos-
sunt bona fieri inalienabilia & amortisata, quamvis
privati per hoc priventur dominio potenciali. His
suppositis,

Statuunt seqq. 1. Stando jure naturæ non potest
fundus secularis fieri Ecclesiasticus; rationem dant,
quia Petrus non potest dare Ecclesiæ vel cuicumque
alteri, nisi dominium proprietatis, hoc enim solum
est ipsius, dominium autem potentiale, jurisdictionis
& politicum, quibus subduceretur ille fundus, si fie-
ret Ecclesiasticus, non est Petri, sed vel privatorum
vel